



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Quomodo differat intentio efficax ab inefficaci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

cognitio, quā mediū repræsentatur vt necessariū ad finem obtinendum, quia vt dicebam suprà intentio non infert necessitatem electionis sine hac cognitione: ergo determinatio, & necessitas electionis aequè nascitur ab intentione, & à cognitione necessitatis mediij: ergo ex hoc capite aequè infertur influxus actius intentionis, & cognitionis necessitas mediij in electionem: sed nullus ex hoc capite dicitur cognitionem necessitatis mediij influere in electionem: ergo neque ex illo influxus iste cognitioni tribuendus est.

- 6 Ultimo tota ratio electionis, & intentionis, & optimum caput distinctionis inter vtrumque actum, & dependentiam electionis ab intentione sine hoc influxu reperitur: ergo hic influxus necessarius non est. Antecedens probatur quia electio semper respicit medium amatum propter motuum intentionis, & pura intentio, tantum respicit finem, & non medium. Neque ad hoc vt electio intentionis motuum respicit physica dependentia necessaria est, quia assensus conclusionis obiectum respicit formale præmissarum, à quibus physicè non dependet, & actus voluntatis respicit obiectum propositum per cognitionem, à qua physicè non dependet: ergo sine hac dependentia physica optima reperitur distinctio inter intentionem, & electionem: reperitur etiam dependentia, quia sicut assensus præmissarum præcedit assensum conclusionis, & conclusionis assensus supponit necessariò assensum præmissarum, & non potest esse independenter ab illo, quod fit absque illo physico influxu, sic intentio potest supponi ad electionem, & electio supponere intentionem (si dicatur intentionem, & electionem necessariò distingui) ita vt non possit existere electio, quin intentio præcesserit, & totum hoc sine influxu physico subsistere. Quod si dicatur vt ego affirmo, omnem electionem esse necessariò intentionem, electio non procedet necessariò ab intentione, differet tamen intentio, quæ simul est electio à pura intentione: quia pura intentio media non respicit in particulari, intentio autem, quæ simul est electio, finem respicit, & medium in particulari eligendum; insuper differunt ex eo, quod pura intentio potest voluntatem determinare & de facto illam determinat ad alium actum, qui simul est intentio, & electio, hic tamen actus, qui rationem intentionis, & electionis habet non potest ad puram intentionem determinare.

PUNCTUM VIII.

Quomodo differat intentio efficax ab efficaci.

- 1 Explicui quid sit intentio, & quomodo ab electione differat. Explico modò rationem peculiarem, qua intentio efficax ab inefficaci distinguitur, & qua formaliter intentio in ratione efficacis constituitur. Huius efficacitatis naturam, neque in se, neque in causis cognoscere possumus, cum nullam supponat causam necessariò cum illa connexam, consistit enim in ipsa intentione, quæ in se formaliter est libera, & provenit à principio adæquato indifferenti ad ipsam & ad negationem eiusdem, quapropter non nisi à posteriori huius efficacitatis naturam venari possumus, ideo ultimo loco postquam omnes illius effectus noverimus, illius notitiam exhibere placuit.

- 2 Quidam efficaciam intentionis in intentione constituent, quorum sententiam omnes Scholastici nostri temporis reiciunt; plures enim intense valde finem amant, inefficaciter tamen, quia illius difficultatibus ab ipsius executione retrahuntur, vt patet in infirmo, qui ardentissimè sanitatem desiderat, quia tamen ad illam obtinendam medium est necessarium brachij amputatio, quæ illi valde dura esset & laboriosa, sanitatem efficaciter non amat, neque ad illam obtinendam medium applicat. Adde intentionem Dei propriè non dici intensam, neque remissam, dici tamen efficacem, & inefficacem. Affirmabant alij voluntatem efficacem esse illam, quæ fertur in rei executionem, seu in rem, prout executioni mandadam, quam sententiam videbatur insinuasse P. Vasquez 1.2. disp. 43. num. 24. non tamen illi consentit quia complacentia, seu intentio inefficax in ipsam executionem fertur: quando enim mihi inefficaciter amo sanitatem, illam pro vt mihi coniungendam, & in me exercendam, amo, & quando inefficaciter ludum intendo, in ipsum ludendi exercitium inefficaciter feror.

Dicebant alij: intentionem inefficacem obiectum conditionatum respicere, quam opinionem impugnatur Vasquez 1.2. disp. 42. c. 3. quia putat voluntatem nunquā ferri in obiectum conditionatum. Quidquid sit de possibilitate voluntatis respicientis conditionatum obiectum displicet hæc sententia, quia si possibilis est volitio respiciens conditionatum obiectum, plures huiusmodi volitiones efficaces sunt. Volitio enim quæ ego dico, volo sanitatem obtinere si aliquid medium ad illam acquirendam, etsi difficultissimum possibile est, volitio est conditionata, & necessariò inferret purificatā conditione executionem finis, durante enim hac volitione, non poterit voluntas alius potius applicare medium aliquid probabiliter ad sanitatem conducent, illud non applicare. Secundo plures sunt volitiones absolute inefficaces tamen, Deus enim absolute vult salutem omnium hominum, non tamen omnium efficaciter, & homo absolute appetit sanitatem non tamen efficaciter, quia difficultate acquisitionis illius retrahatur ab executione mediorum.

Affirmant alij: intentionem efficacem explicari verbo *volo*, inefficacem verbo *vellem*. Hæc opinio vel coincidet cum opinione suprà impugnata de obiecto absoluto, & conditionato, vel nihil dicit, & quocumque modo intelligatur, sustineri nequit, quia si illius auctores dicant conceptum illum obiectum correspondentem verbo *vult*, tantum deferuire ad explicandum alium, in quo consistit ratio formalis intentionis efficacis; rem sane obscuram per obscuriorem explicant, & nobis non ostendunt naturam intentionis efficacis, & inefficacis; si verò affirmet in ipso consistere rationem formalem actus inefficacis, manifestè conuincuntur, quia verbum *vellem*, non dicit formaliter actum, qui est, sed qui esset, quia cum ego dico: si hoc fecisses, vellem ego hoc tibi dare, non dico me modò velle inefficaciter, sed fore vt vellem, si conditio illa accessisset, quod nihil absolute existens significat, neque actus voluntatis, etiam si obiectum conditionatum respiciat rectè explicatur per verbum *vellem*, sed *volo*, sicuti actus intellectus terminatus ad obiectum conditionatum non dicitur actus, quo cognoscerem, sed quo cognosco obiectum, quod esset. Ex quo inferitur, volitionem inefficacem non posse consistere in actu significato per verbum *vellem*, sed per verbum *volo*, quia intentio inefficax non tantum existeret, sed actu existeret, & per illam voluntas absolute amat obiectum.

Affirmo intentionem efficacem, esse illam, quam robustam vocauit August. & à parua, hoc est, ab inefficaci distincta, lib. de gratia, & libero arbitrio c. 7. illam scilicet, quæ necessariò coniungitur cum electione mediorum necessaria ad finem obtinendum; intentionem verò inefficacem esse illam, quæ coniungi potest cum negatione electionis requisitæ ad media eligenda: ita Vasquez c. 4. cit. Salas 1.2. tract. 6. disp. 13. art. 6. Angelus in moralibus c. 3. §. 3. Probatur ex dictis suprà, vbi probaui intentionem efficacem inducere necessitatem electionis requisitæ ad positionem mediorum, quod proprium est intentionis efficacis, quæ intentione efficaci id non impedit, vt certum est, postquam enim quis inefficaciter finem intendit indifferens ad media eligenda vel non eligenda, nullam incurrit necessitatem electionis necessariæ exhibendæ, quamcumque requisitæ ad finis executionem.


Alia in me incidit dubitatio. An videlicet inter intentiones efficaces detur vna formaliter efficacior alia. Quam questionem nondum apud aliquem legi. Inquiri an detur vna voluntas formaliter efficacior, quia materialiter loquendo parum questionis esse poterat; quia cum intentionis efficacia in actu primo non distinguitur ab ipsa intentione, & quod intentio fuerit intensior, dici poterit efficacior in actu primo, quod ego voco intentionem materialiter efficacior. Inquiri de efficacitate formali intensiori, seu maiori, si intentionis nomen non admittat, vbi non est additio gradus ad gradum, hoc est, an duplex intentio vtraque efficax, vtraque intensior vt quatuor possit esse inæqualiter efficax, ita vt hæc intentio aliam vincat efficacitate?

Pro negatiua parte stat prima concipiendi ratio quæ non parum roboris videtur habere, & sic primò omnibus occurrit. Nulla intentio efficax cuiuscumque sit intentionis vel remissionis, potest coniungi cum negatione electionis requisitæ ad finem: ergo omnis intentio habet æqualem connexionem cum fine: ergo ex omni intentione æquè

æquè infertur electio: ergo omnis intentio est æquè efficax. Probo consequentiam: Efficacia intentionis consistit in connexione ipsius cum electione executiva mediorum, quam infert, sed omnis intentio est æquè connexa cum electione: ergo omnis intentio est æquè efficax.

8 Placet asserere non obstanti ratione suprà facta, esse unam intentionem efficaciorē alia. Pro hac conclusione suppono, quod negabit nullus, voluntatem per diuersos actus circa idem obiectum amatum posse tenacius, & minus tenaciter obiectum prosequi. Rem explico: Certum est aliquando voluntatem ita amare obiectum, verbi gratia, sanitatem, vt si illi proponatur tanquam medium necessarium scissio brachij ab illius amore non desistet, sed parietur abscindi, & ipsam abscissionem positiuè per electionem amabit ad finem propositum consequendum. Certum etiam est, aliquando voluntatem eandem efficaciter sanitatem amare, tali amore, seu intentione, vt si illi proponatur tanquam medium necessarium ad illam acquirendam, eadem brachij abscissio, statim voluntas ab illa intentione deficiet, & consentiet intellectui dicenti, non est tanti pretij digna dolore salus. Ex his intentionibus assero illam esse efficaciorē, quæ non deficit obiecto medio efficaci necessario ex suppositione, quod perseueret, eligendo, quam illam, quæ obiecto eodem medio deficit, & à qua cadit voluntas, ne eidem insitens teneatur assumere electionem medijs adeo duri, atque difficilis. Conclusionem sic explicatam probo: Illa intentio est efficacior, quæ infallibilis infert effectum: sed intentio, quæ non deficit obiecto medio difficili infallibilis infert effectum, quam illa, quæ deficit eodem medio ablato, quia in eadem rerum persistit perseuerat, & infert effectum, in qua alia deficit, & effectum non infert: ergo est efficacior intentio. Confirmatur: illa est virtus efficacior, quæ contrario resistit, vt suum effectum producat, quam illa, quæ ab eodem contrario interimitur, & remanet sine effectu: ergo intentio erit efficacior, quæ proposito difficili medio, persistit, & effectum consequitur, quam illa, quæ eodem obiecto medio deficit, & non remanet cum effectu, neque adhuc sine illo: ergo inter intentiones efficaces datæ intentio intentione efficacior.

9 Ad rationem dubitandi suprà propositam facilis est solutio. Respondeo omnem intentionem æquè coniungi cum effectu, ex suppositione, quod perseueret, quia sine illo perseuerare nequit, non tamē omnes æquè perseuerare cognita medijs difficultate: efficacia autem sumitur ex coniunctione intentionis cum electione, & firmitate ipsius intentionis, seu propositi, quapropter quod firmiter fuerit intentio, quæ existere non potest sine electione efficacior erit. Ad formam argumenti, Respond. omnis intentio efficax æquè coniungitur cum effectu, distingo antecedēs: supposita productione & perseuerantia intentionis cum præuisione medijs, concedo maiorem: supposita tantum intentione, sine perseuerantia cum præuisione medijs, nego maiorem: sed efficacia consistit in connexionione intentionis cum electione, distingo id, quod essentialiter requiritur, vt intentio sit efficax consistit in hac connexionione tantum, concedo maiorem: id, quo intentio dicitur efficacior, & efficacior consistit in connexionione intentionis cum electione, quæ tantum sit ex suppositione perseuerantia intentionis cum præuisione medijs difficilis nego maiorem: in connexionione, quam habeat intentio cum electione, ante præuisionem difficilis medijs, & independentem à tali præuisione, quoad esse intentionis, & connexionis ipsius cum electione, concedo maiorem. Deinde nego consequentiam.



CONTROVERSIA XII.

De libertate voluntatis.

8 **R**OPRISSIMA affectio actuum voluntatis est libertas, maximeque huius potentia perfectio: quapropter postquam egimus de voluntate, & de actibus illius, disputationem de libertate insti tuimus.

PUNCTUM PRIMUM.

Statuitur libertas voluntatis.

1 **M**aximam rationalis substantia perfectionem, in libertate Philosophi atque Theologi sitam esse agnoscunt, quam nullus negat, præter stolidos quosdam hæreticos, qui idipsum, quod verbis negant, rationibus, atque operationibus probant. Hi fuere, teste August. lib. 5. de ciuit. Dei c. 1. & lib. 4. Confessionum cap. 3. antiqui quidam Philosophi, quos postea sequuti sunt Simon Magus, Bardanes, Priscillianus, vt constat ex Aug. lib. de hæresibus c. 35. 46. & 70. ex Clem. lib. 3. Recognitionum, & ex Bellarmino libr. 3. de grat. & libero arbitrio.

2 Communis Philosophorum consensus homini libertatem assignat, ita Aristoteles cum suis, vt constat ex lib. 9. metaph. cap. 2. & 3. Ethicorum, à principio libertatem hanc statuit tanquam fundamentum totius moralis doctrinae. Eandem libertatem concedit Plato lib. vltimo de Republica, & Stoici à necessitate fati, quam aliis rebus tribuebant voluntates humanas excipiebant, vt refert August. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 10. Cicero lib. de diuinit. & natura Deorum, vt hanc libertatem concederet, Dei præsentiam negauit, de quo Augustinus modò relatus dicebat: *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos*. Libertatem hanc acerrimè propugnant omnes Patres, inter quos omnium primus Augustinus tom. 1. tribus lib. de libero arbitrio, & tom. 7. vbi acerrimè egit contra Pelagium, & efficaciam gratia cum libero arbitrio composuit, cuius in hac re tanta est auctoritas, vt nullus possit in illa ab Augustino dissentire, qui manifestè Conciliorum definitionibus, præcipuè Arausiaci non aduersetur. Plures Patres pro hac veritate citatos reperies apud Bellarminum suprà, modò nobis dicere sufficiat illam tanquam certam fide sancta omnes Catholicos amplecti.

3 Persuadetur veritas illa ex communi hominum operandi ratione, si enim hominibus libertas non inesset, ad quid consilium & deliberatio de re agenda, vel non agenda? Quorsum leges, & exhortationes? cur frustra obsequia hominibus exhiberemus? si enim illorum operationes liberae non essent, sed ferino modo in obiecta ferrentur, hæc omnia essent inutilia, sicut quis frustra mihi persuadere conaretur, & inutiliter à me postularer vt mea statueram cubitum vnum adicerem, quod mea libertati non subest, ac proinde impertinens est huius accrementi cogitatio ad illud obtinendum; sic de omnibus aliis dicendum esset, si omnia non ingenua libertate, sed misera necessitate contingerent.

4 Diceret amens aliquis has exhortationes, preces, atque consilia ablata libertate non inutiles fore, quia ferunt vt hominem necessariò moueant ad opus exhibendum, quod illis deficientibus non præstaret, quia deficeret id, quo necessitudo cogitur opus tale exercere, sicuti contingit in brutis, quibus non inutiles sunt inflatae preces, & illatae blanditiæ vt moueantur ad onera portanda, aliæque exhibenda quæ absque illa indifferentia operantur. Quod si quæras, ex quo principio oriuntur exhortationes, seu preces, quæ potuerunt non esse, dicent procedere necessariò ex alia apprehensione, & si hæc non sit prima, ex alia, quovisque deueniatur ad aliquam quæ misera calamitate, & fato inuitabili contigit.

5 Effugium hoc, quod non nisi proteruis pertinaxque hæreticus tentabit, experientia præcluditur, quia notum est, eadem cogitationum serie constitutos posse idem obiectum amplecti & non amplecti, quod ipsi hæretici fatentur, dum iniurias sibi illatas vindicare procurant, & grauius ferunt sibi malum ali quod ab aliis hominibus infligi, & illos increpant & reprehendunt, qui suos errores non amplectuntur, & suis legibus non obediunt, quæ omnia irrationabiliter fierent, si libertas hominibus non esset: immeritò enim quis irascitur cum homine infligente alapam quam non potuit non infligere, vel occidente filium, vel parentem, in cuius mortem perpetranda necessariò fuit adductus.

6 Vltimò, libertas voluntatis à priori probatur ex modo, quo intellectus obiecta proponit: Intellectus proponit obiecta cum indifferentia vt amentur, & odio habeantur, cum aliqua ratione boni, quam potest actu prosequutionis voluntas amplecti, & cum rationem ali, quam potest voluntas actu